



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 44. Montpessulanus Episcopi Zelus contra Jansenistas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](#)

„sua Majestas mandat, ut dicta dispo- Sæc. XVIII.  
„nitio Parliamentaris Decreti, habeatur A. C. 1740.  
„pro nulla ac si non emanasset; &  
„prohibet, eam mandari executioni,  
„ullamque vi illius ferri sententiam,  
„idque sub poena nullitatis.,,

§. XLIV.

*Montpessulanus Episcopi Zelus contra  
Janßenistas.*

Porro Georgius Lazarus Berger de Charency, qui Carolo Colberto de Croissy in Montpessulano Episcopatu successerat, extremos adhibuit conatus, ut Ecclesiam suam per prava Prædecessoris sui dogmata & exempla Jansenianis erroribus turpiter fædatam purgaret. Eo fine anni prioris die septima Martii decretum promulgari jussit, quo omnibus & singulis injunctum, ut Alexandri VII. P. formulæ subscribeant. Paruere potissimi, nihilominus tamen alii pro indomito suo ingenio ac jugi impatiens animo palam obsistebant, atque inter alios Villebrunius Montpessulanæ Urbis ad S. Annam Parochus Episcopi decretum, uti jussus erat, promulgare renuit; unde propter periculam suam in Ecclesiastico foro caussam suam dicere compulsus est: hic vero ad Parisinæ Curiæ Advocatos

R r 2      con-

Sæc. XVIII. confugit, qui etiam in Parochi favo  
A. C. 1740. rem die vigesima nona Maij contra  
Episcopum, ejusque decretum propria-  
diosam ediderunt consultationem. In  
ea præprimis contra Ecclesiæ decisio-  
nem audacter jactitabant, juris & facti  
distinctionem, quam Parochus aliisque  
in subscriptione Formulae adhibuerent,  
immotis atque inconcussis fidei san-  
que rationis fundamentis inniti, no-  
vum hunc Episcopum præfatam distinc-  
tionem inepte erroribus in fide accen-  
suisse, ac insulsius contra rei eviden-  
tiam pronuntiare ausum, quod Ecclesia  
suam de facti quæstione mentem &  
sensum palam edixisset, eos quoque,  
qui huic distinctioni suffragarentur, im-  
merito pro excommunicatis ab Episcopo  
suisse habitos, id tamen nulla ratione  
valida probari posse &c. His aliisque  
fusius expositis Advocati in immensas,  
atque amplissimas Colberti Episcopi  
defuncti laudes sese diffundebant, ejus  
vero Successorem indignissimis probris  
exagitabant: Ceterum hic Episcopus,  
quo prouius horum odia beneficiis vin-  
cere studebat, eo acriori Zelo Dei ac  
Ecclesiæ caussam defendere intentus  
erat, cumque inter chartas Archian-  
seniani cuiusdam Curionis ex Dæceti  
Montpellulana Anno 1736. die vge-  
ma septima Augusti binæ schedæ pro-  
pria

Sæc. XVIII.  
A. C. 1740.

pria ipsius manu exaratæ fuissent reper-  
tæ sub hoc titulo. I. *Constitutiones seu  
secretum Jansenismi.* II. *Epistola encyc-  
lica ad Discipulos S. Augustini cum hac  
subscriptione: Humillimi & additissimi  
in Jesu Christo Sacerdotes in Portu Regio  
Discipuli S. Augustini,* utrumque autem  
scriptum perversissimas doctrinas, præ-  
cepta ac monita de ratione agendi  
cum vario hominum genere sacri ac  
profani Ordinis eo fine congesta con-  
tinerentur, ut fideles depravarentur,  
atque unaomnes Jansenismo initia-  
rentur, hinc Episcopus ex his scri-  
ptis occasionem atque argumentum  
deprompsit, ut hoc anno die vigesi-  
ma quarta Septembribus Pastoralem  
quam postea referemus, Epistolam ple-  
nam in lucem daret, in qua ardenti  
Religionis Catholicæ studio malignas  
Jansenistarum artes, fallacias, & sub  
specioso pietatis ac severioris disciplinæ  
velamento latens nequitia venenum  
detexit, omnesque suos fideles paterno  
affetu hortatus est; ut qui hactenus  
suam credulitatem pietatemque a pes-  
simis sub ovina pelle incidentibus Im-  
postoribus circumveniri passi essent, nunc  
voce Pastoris sui ab errore ad veritatis  
semitam revocati, ad Ecclesiæ Matris  
suæ obsequium reverterentur. Postea  
ad varias Jansenistarum artes, dogmata,  
ac præstigias descendens, præcipue

Rr 3

ex-

Sæc. XVIII. exagitabat turpissimam eorum nundi-  
 A. C. 1740 nationem, qua præsenti ac furtivo ære  
 fideles ad appellandum a Constitutione  
 sollicitabant. Infamis hujus quæstus  
 testem produxerat Episcopus Jacobum  
 Servienum Lugdunensem, qui a Jan-  
 senistis conductus, appellantes &  
 appellantes pecuniis coemit, ærarii  
 Janseniani Procurator; ast propterea  
 ad triremes damnatus, post aliquot an-  
 nos suam appellationem retractavit,  
 impiamque hanc nundinationem ipse  
 met fassus, detestatusque est. Par-  
 ter Laudanensis Episcopus pro ardentí  
 suo Religionis Zelo, & reverentia erga  
 summi Pastoris decisiones novam edi-  
 dit Instructionem Pastoralem, in qua  
 suos diæcesanos docuit, quid agendum  
 cum iis, qui notorie Constitutioni sunt  
 rebelles; ast Parliamentum denuo pro-  
 hibuit denegare Sacra menta & Sepul-  
 turam Ecclesiasticam propter appella-  
 tionem.

§. XLV.  
*Benefica Clementis XII. sollicitudo  
 pro populo Romano.*

Interim Clemens Pontifex, qui in Apo-  
 stolica universæ Ecclesiæ cura con-  
 fenserat, postremis etiam vitæ suæ die-  
 bus paternæ miserationis viscera in-

sub-